



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. A Christo diuersitas sepulturæ, in Epulone & Lazaro insinuata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

CAPVT LXIV.

Bonis bonas, malis malas sepulturas justissimè contingere.

I.
Iob, 17, 1.

Post mortem, sequitur sepultura. Vnde Iob ait: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Si ergo Deus iustus erga animas tentationibus expositas, in vltimo mortis agone; quis eum iniustum dicat erga corpora, siue ea sepeliri sinat, siue insepulta relinquat? De anima Lazari, & anima Epulonis Christus hæc indicauit: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahe.* En quàm boni, quàmque nobiles funeris non funeris portitores? *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* O miserabilem sepulturam? quàm profundum sepulchrum? quàm lamentabile funus? quàm flebilis lapis-sepulchralis, cui inscriptum est *aternitas! aternitas! heu aternitas!* Iustam esse vitamque hanc funeris pompam, & sepulturam animæ, nemo ambigat: dignus fuit Lazarus Angelorum comitatu; dignus Epulo comitatu diabolorum. Quid mirum est, si illi, qui *sicut equus & mulus* vixerunt, *sepultura asini* sepeliantur? Neque indignum est, si corpora Sanctorum honestè tumulata marmoribus, miraculis, anathematis ornentur. Fuerunt enim domicilia animarum Deo dilectarum, & instrumenta piarum operationum.

II.
Matth. 14, 12.

Qua de causa, postquam Ioannes ab Herode occisus est, leguntur discipuli eius corpus eius tulisse, & cum veneratione sepeluisse. Ad quam sepulturam significandam, & honorificè sepeliuisse. Ad quam sepulturam significandam, & honorificè

Matth. 26, 13.

parandam Maria Magdalena effudit *alabastrum unguenti pretiosi super caput ipsius CHRISTI recumbentis.* Ob quod factum, eam Dominus defendens, dixerat: *Mittens hac unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit, immò addit, toto mundo prædicandum, quod hac fecerit in memoriam eius.* Nicodemus certè

Ioan. 19, 39.

mixturâ myrrhæ & aloes CHRISTVM à morte totum conduxit; & mulieres quoque CHRISTI vngendi causa ad monumentum venerunt. Qui mos Ægyptijs, atque etiam alijs consuetissimus fuit. Hinc corpus Iacob Patriarchæ, iussu filij Ioseph, & cadaver Asæ regis Iuda conditum fuit. Ad quem morem etiam Virgilius lib. 6, Æn, respicit de Miseno scribens:

Cor.